

**CONSELLO DA CULTURA GALEGA  
GALLAECIAE MONUMENTA HISTORICA**

**138**

**1320, abril, 4-5**

*xuramento*

*O cabido comprométese a que, se chega algúñ deles a ser deán, non reclamará a Terra do Vicariato (entre Miño e Arnoia) e impediranlo a quen viñese de fóra reclamándoo.*

*Ao día seguinte, en presenza do bispo Gonzalo, xuran os arcediagos de Castela e de Baroncelle.*

ACOu, *Escrituras XIV*, 18

In dei nomine amen. Noverint universi *quod* in presencia mei Roderici Guterri publici notarii auriensis et testium infrascriptorum ad hoc vocatorum, capitulo auriense congregato per pulsacionem campane in loco solito prout moris est, super facto terre de inter Mineum et Arnoyam et de Ravaeda et de Aquilar, quam terram dictum capitulum iam receperat per se et sue mensse applicaverat, venerabiles viri de capitulo predicto, videlicet domini Johanes Roderici cantor, Petrus Roderici archidiaconus de Lima, magister Mathias thesaurarius, Petrus Roderici dictus Collaço, Petrus Alffonsi de Velle, Martinus Fernandi, Iohanes Iohanis, Iohanes Geraldus, Iohanes Fernandi, Beraldus Alffonsi, Petrus Alffonsi de Presigueiroo, Fernandus Menendi, Alffonssus Viviani, Pelagius Arie, Petrus Sugerii, Garsias Martini canonici aurienses quilibet istorum per se juraverunt michi notario infrascripto stipulanti vice et nomine *quorum* intererat vel interesse poterit in futurum corporaliter per se sacrosanctis evangeliis tactis *quod* si contigeret *quod* aliquis ipsorum esset decanus *quod* nunquam peteret terram predictam de inter Mineum et Arnoyam et de Ravaeda et de Aquilar nec impediret eam seu impeteret dicto capitulo nec eum molestaret super eam per se vel per alium vel alias in judicio vel extra. Et si quis aliis aliunde qui non esset de gremio ecclesie obtineret vel impetraret decanatum auriense et vellet petere vel habere istam terram prelibatam vel aliquis quivis alias vellet eam impedire dicto capitulo *quod* ipsum capitulo et quilibet de capitulo protegesent et defendesent eam pro capitulo per omnia bona de comuni ipsius capituli in quantum possent et esset de jure. Et ex hiis petierunt a me notario prelibato *quod* darem eis unum instrumentum meo signo signatum. Actum fuit hoc Aurie in capitulo in loco ubi consuevit celebrari, quarta die mensis aprilis, era millesima trecentesima quinagesima (octava). Presentibus testibus Michaelo Petri notario auriense, Garsia Roderici, Johane Dominici et Iohane Fernandi clericis chori auri(ensis).

>Et in continentie die prefata omnes de capitulo dixerunt michi notario et rogaverunt quod irem cum istis testibus ad domos Petri Gundissalvi archidiaconi de Buval et ad domos Alffonssi Martini canonici qui paciebantur suis infirmitatibus et *quod* recipere(...) tale juramentum quale ipsi omnes desuper fecerunt super facto dicte terre. Et ego ivi ad domos predicti archidiaconi et Alffonssi Martini canonici et recepi ab eis juramentum tactis per se corporaliter sacrosanctis evangelis (...) tenet et perpetuo observare cum aliis de capitulo, predictis testibus presentibus Garsia Roderici, Johane Domenici (...) clericis cori. Est hic rasum ubi dicit ‘Fernandi’, et non noceat.

>Noverint universi *quod* quinta die mensis aprilis, era millesima trecentesima quinquagesima octava, pre

sente reverendo patre non sedendo domino Gundissalvo auriense episcopo, capitulo iusdem congregato per pulssacionem campane prout moris est, presencia mei notarii et testium infrascriptorum ad hoc vocatorum, dominus Velascus Petri archidiaconus de Castella ac dominus Alvarus Fernandi archidiaconus de Baroncelle in eadem auriense ecclesia quilibet per se tactis corporaliter sacrosanctis evangelii juraverunt michi notario stipulantlanti prout alii supradicti de capitulo prelibato predictam omniam tenere et perpetuo observare cum aliis de capitulo. Actum fuit hoc Aurie in capitulo in loco ubi consuevit capitulum celebrari, die et anno supradictis. Presentibus testibus supradicto domino Gundissalvo auriense episcopo, Viviano Domenici rectore ecclesie Sancti Vereximi de Vilar de Porcos, Petro Laurencii familiare Iohane Geraldii canonici auriensis, Petro Roderici quondam familiare Martini Alfonsi canonici auriensis clericis cori auriensis.

Et ego Rodericus Guterri publicus notarius auriensis auctoritate domini episcopi et ecclesie eiusdem rogatus hiis interfui et ab omnibus prenominatis superius predictum juramentum recipi et istud instrumentum ad petitionem ipsorum propria manu escripsi meoque signo in testimonium premissorum signavi quod tale est.

(signum)